

filius ancillæ tuæ ; non in me, sed in te Domino meo gloriarob , qui disrupti vincula mea , ut a fuga rediens re-ligarer tibi.

VIII. « Vota mea Domino reddam<sup>1</sup>. » Quæ vota redditurus es ? Quas vovisti victimas ? quæ incensa ? quæ holocausta ? An ad illud respicis , quod paulo ante dixisti : « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo ; » et, tibi sacrificabo sacrificium laudis ? » Et revera quisquis bene cogitat quid voveat Domino , et quæ vota redditur, se ipsum voveat, se ipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nummo Dominus dicit : « Reddite Cæsari quæ Cæsar is sunt, et Deo quæ Dei sunt<sup>2</sup>. » Imago sua redditur Cæsari , imago sua reddatur Deo.

IX. Sed qui meminit non solum servum se esse Dei , sed et filium ancillæ Dei , videt ubi reddit vota sua , conformatus Christo per calicem salutaris. « In atriis, inquit, » domus Domini . » Quæ domus Dei est, hæc ancilla Dei est : et quæ domus Dei , nisi omnis populus ejus ? Ideo sequitur : « In conspectu omnis populi ejus. » Et apertius jam nominat ipsam matrem. Quid est enim aliud populus ejus , nisi quod sequitur : « In medio tui , Jerusalem<sup>3</sup> ? » Tunc est enim quod redditur gratum , si de pace atque in pace reddatur. Qui autem filii hujus ancillæ non sunt , bellum potius quam pacem amaverunt. Ne quis autem existimet atria domus Domini , et omnem populum ejus Judæos significari , quia ita clausit iste Psalmus , ut dicaret : « In medio tui , Jerusalem , » cuius nomine carnales Israëlità gloriantur : audite sequentem Psalmum , qui quatuor versiculis continetur.

<sup>1</sup> Psal. cxv, 18. — <sup>2</sup> Matth. xxi, 21. — <sup>3</sup> Psal. cxv, 19.

---

## ENARRATIO

### IN PSALMUM CXVI.

Superioris Sermonis continuatio.

« LAUDATE Dominum omnes gentes , laudate eum omnes populi<sup>1</sup>. » Hæc sunt atria domus Domini , ille omnis populus ejus, hæc vera Jerusalem. Audiant magis illi , qui hujus civitatis filii esse noluerunt , cum se ab omnium gentium communione præciderunt. « Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus , et veritas Domini manet in æternum<sup>2</sup>. » Hæc sunt duo illa , misericordia et veritas , quæ in centesimo tertio - decimo Psalmo memorie commendanda commonui<sup>3</sup>. « Confirmata est autem super nos misericordia » Domini , cum ejus nomini , per quod liberati sumus , inimicarum gentium rabida ora cesserunt : « Et veritas Domini manet in æternum , » sive in eis quæ promisit justis , sive in eis quæ minatus est impiis.

<sup>1</sup> Psal. cxvi, 1. — <sup>2</sup> Ibid. 2. — <sup>3</sup> Vide Enarrat. Psal. cxiii, Serm. 1, n. 13.

## ENARRATIO

## IN PSALMUM CVII.

Sermo ad populum.

I. AUDIVIMUS, fratres, admonentem nos atque hortantem Spiritum sanctum, ut sacrificium confessionis offeramus Deo. Confessio autem, vel laudis ejus est, vel peccatorum nostrorum. Et illa quidem confessio, qua peccata nostra Deo confitemur, omnibus nota est; ita ut hanc solam dici confessionem in Scripturis sanctis minus erudita existimet multitudo: nam ubi hoc verbum lectoris ore sonuerit, continuo strepitus pius pectora tundentium consequitur. Sed debent advertere quomodo dictum sit in alio Psalmo: « Quoniam ingrediar in locum tabernaculi » admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis » et confessionis, soni festivitatem celebrantis<sup>1</sup>. » Hic enim certe manifestum est vocem confessionis et sonum, non ad mcerorem pœnitentiae, sed ad lætitiam festivitatis celeberrimæ pertinere. Aut si de tam manifesto testimonio quisquam adhuc dubitat, quid dicturus est ad illud quod in Ecclesiastico scriptum est: « Benedicite Domum omnia opera ipsius, date nomini ipsius magnificientiam, et confitemini in laudem ipsius in canticis labiorum et in eitharis; et sic dicite in confessione: « Quoniam omnia opera Domini bona nimis<sup>2</sup>? » Hic certe nullus vel tardissimus ambigit confessionem in Dei laudi-

<sup>1</sup> Psal. xli, 5. — <sup>2</sup> Eccli. xxxix, 19-21.

bus ponit: nisi forte tanta est in cuiusquam mente perversitas, ut dicere audeat etiam ipsum Dominum Jesum Christum peccata sua Patri esse confessum. Quod si aliquis impius propter nomen confessionis tentaret objicere, facilime refelleretur ipsa contextione verborum. Sic enim loquitur: « Confiteor tibi, inquit, Pater, Domine coeli et » terræ, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis; ita, Pater, quoniam sic » placitum est coram te<sup>1</sup>. » Quis non eum intelligat in laude Patris haec dicere? Quis non videat istam confessionem non ad dolorem cordis, sed ad gaudium pertinere; cum etiam præcesserit Evangelista dicens: « In ipsa hora exultavit Spiritu sancto et dixit: Confiteor tibi » Pater<sup>2</sup>? »

II. Quapropter, charissimi, quoniam nullo modo est omnino dubitandum, tot congruentibus testimoniis, quorum similia in Scripturis per vos ipsos potestis advertere, non tantum in peccatis, sed et in laudibus Dei confessionem divinis Litteris solere nominari; quid congruentibus in hoc Psalmo, quando « Alleluia » cantamus, quod est, Laudate Dominum, nos admoneri intelligimus, cum audiimus: « Confitemini Domino, » quam id ipsum, scilicet ut laudemus Dominum? Non potuit laus Dei brevius explicari, quam ut diceretur: « Quoniam bonus est<sup>3</sup>. » Quid sit grandius ista brevitate, non video; cum ita sit proprium Deo quod bonus est, ut a quodam compellatus ipse Filius Dei, cum audiret: « Magister bone, » ab eo scilicet qui carnem ejus intuens, et Divinitatis plenitudinem non intelligens, solum hominem arbitrabatur; responderet: « Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus<sup>4</sup>. » Quod quid est aliud dicere, quam, Si me bo-

<sup>1</sup> Luc. x, 21. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Psal. cxvn, 1. — <sup>4</sup> Marc. x, 17, 18.

num vis appellare, intellige et Deum? Sed quoniam populo dicitur, in prænuntiatione futurorum liberato ab omni labore et captivitate peregrinationis et ab omni permixtione iniquorum, quod ei per gratiam Dei præstatum est, non solum non retribuentis mala pro malis, sed etiam retribuentis bona pro malis; convenientissime adjunctum est: « Quoniam in sæculum misericordia ejus. »

III. « Dicat autem domus Israël quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat autem domus Aaron quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant nunc omnes qui timent Dominum quoniam in sæculum misericordia ejus<sup>1</sup>. » Recognoscitis, credo, charissimi, quæ sit domus Israël, quæ sit domus Aaron, et quoniam utrique sunt timentes Dominum. Ipsi enim sunt pusilli cum magnis, jam in alio Psalmo bene insinuati cordibus vestris: quorum numero nos omnes, in ejus gratia qui bonus est et in sæculum misericordia ejus, sociatos esse gaudeamus; quoniam exauditi sunt qui dixerunt: « Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros<sup>2</sup>: » ut Israëlitæ in Christum credentibus, ex quorum numero sunt Apostoli patres nostri, et ad eminentiam perfectorum et ad obedientiam parvulorum adjungeretur numerus Gentium: ut dicamus omnes facti unum in Christo, facti unus grex sub pastore uno, et corpus illius capitinis tanquam unus homo dicamus: « In tribulatione invocavi Dominum, et exaudiuit me in latitudine<sup>3</sup>. » Angustia nostræ tribulationis finitur: latitudo autem, quo transimus, non habet terminum. « Quis enim accusabit adversus electos Dei<sup>4</sup>? »

IV. « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat

<sup>1</sup> Psal. cxvi, 2-4. — <sup>2</sup> Id. cni, 12-14. — <sup>3</sup> Id. cxvi, 5. — <sup>4</sup> Rom. viii, 33.

» mihi homo<sup>1</sup>. » Sed numquid solos homines habet inimicos Ecclesia? Quid est homo carni et sanguini deditus, nisi caro et sanguis? Sed ait Apostolus: « Non est nobis » collectatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus » principes et rectores mundi tenebrarum harum<sup>2</sup>: » id est, rectores iniquorum, mundum istum diligentium, et propterea tenebrarum; quia et nos fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino<sup>3</sup>. « Adversus spiritalia, inquit, nequitiae in cœlestibus<sup>4</sup>: » id est, diabolum et angelos ejus: quem diabolum alio loco dicit principem potestatis aëris hujus<sup>5</sup>. Audi ergo quod sequitur: « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos<sup>6</sup>. » Ex quolibet genere inimici exurgant, sive ex numero malorum hominum, sive ex numero malorum angelorum; in Domini adjutorio despicientur, cui confitemur laudem, cui cantamus Alleluia.

V. Despectis autem inimicis, non sic mihi tanquam bonus homo se amicus opponat, ut ipse in se spem meam jubeat collocari. « Bonum est enim confidere in Domino, quam confidere in homine<sup>7</sup>. » Nec quisquis secundum quemdam modum dici potest Angelus bonus, sic a me cogitetur, ut in eo confidere debeam; nemo enim bonus, nisi solus Deus. Et cum videntur adjuvare homo vel Angelus, cum hoc vera dilectione faciunt, ille per eos facit, qui eos pro modo eorum bonos fecit. « Bonum est ergo sperare in Dominum, quam sperare in principes<sup>8</sup>. » Nam et Angeli dicti sunt principes, sicut in Daniele legimus: « Michaël princeps vester<sup>9</sup>. »

VI. « Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos: circumdantes circumdederunt

<sup>1</sup> Psal. cxvii, 6. — <sup>2</sup> Ephes. vi, 12. — <sup>3</sup> Id. v, 8. — <sup>4</sup> Id. vi, 12. — <sup>5</sup> Id. n, 2. — <sup>6</sup> Psal. cxvii, 7. — <sup>7</sup> Ibid. 8. — <sup>8</sup> Ibid. 9. — <sup>9</sup> Dan. xii, 1.

» me , et in nomine Domini ultus sum eos<sup>1.</sup> » Quod ait : « Omnes gentes circumdederunt me , et in nomine Domini ultus sum eos ; » significat Ecclesiæ labores atque victoriam : sed quasi causa quereretur unde tanta mala superare potuerit , respectum est ad exemplum , et dixit quid primo passa sit in capite suo , addendo quod sequitur : « Circumdantes circumdederunt me. » Et bene ibi non repetitum est , « Omnes gentes ; » quod a Judæis solis factum est . « Et in nomine Domini ultus sum eos : » quia illuc ipse pius populus , quod est corpus Christi , persecutores sensit , de quorum genere caro illa suscepta et suspensa est , et pro quo factum est quidquid ab illa interiore divinitate per exteriorem carnem virtute immortali mortaliter factum est .

VII. « Circumdederunt me sicut apes favum , et exarserunt sicut ignis in spinis , et in nomine Domini ultus sum eos<sup>2.</sup> » Hic jam ex ordine gestarum rerum , etiam verborum ordo contextitur . Nam ipsum Dominum caput Ecclesiæ recte accipimus circumdatum a persecutoribus , sicut circumdant apes favum . Quid enim ab ignorantibus gestum sit , mystica subtilitate Spiritus sanctus loquitur . Mel quippe apes operantur in favis . Nescientes autem persecutores Domini , fecerunt eum nobis ipsa passione dulciorem : ut gustemus et videamus quam suavis est Dominus<sup>3</sup> , qui mortuus est propter delicta nostra , et resurrexit propter justificationem nostram<sup>4.</sup> Jamvero quod sequitur : « Et exarserunt velut ignis in spinis : » in ejus corpore , hoc est , in populo ubique diffuso melius intelligitur ; quem circumdederunt omnes gentes , cum sit collectus de omnibus gentibus . « Exarserunt quippe velut ignis in spinis , » quando peccatricem carnem atque hujus mortalis vite molestissimas compunctiones , persecu-

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 10, 11. — <sup>2</sup> Ibid. 12. — <sup>3</sup> Id. xxviii, 9. — <sup>4</sup> Rom. iv, 25.

tionis incendio cremaverunt . « Et in nomine , inquit , Domini ultus sum eos : » sive quia et ipsi , malitia quæ in eis justos persecuebatur extincta , christiano populo sociati sunt ; sive quia cæteri eorum qui contempserunt hoc tempore vocantis misericordiam , veritatem judicantis in fine sensuri sunt .

VIII. « Tanquam cumulus arenæ impulsus sum , ut caderem , et Dominus suscepit me<sup>1.</sup> » Quamvis enim esset jam magna multitudo credentium , quasi arenæ innumerabili comparanda , et in unam societatem tanquam in cumulum ducta : tamen quid est homo , nisi quod memor es ejus<sup>2.</sup> Non dixit : Abundantiam numeri mei , numerus gentium superare non valuit : sed , « Dominus , inquit , suscepit me. » Multitudinem ergo fidelium in unitate fidei simul habitantem persecutio gentium quo impellebat , ut dejiceret , non habebat : quando in eum creditum est , qui et singulos et omnes et ubique susciperet ; quia eis invocantibus nusquam deesse potuisset .

IX. « Fortitudo mea et laudatio mea Dominus ; et factus est mihi in salutem<sup>3.</sup> » Qui ergo cadunt , cum impelluntur , nisi qui sua sibi fortitudo , et sua sibi volunt esse laudatio ? Nullus quippe in certamine cadit , nisi cuius fortitudo et laudatio cadit . Quapropter cuius fortitudo et laudatio est Dominus , tam non cadit quam non cadit Dominus . Et ideo eis factus est in salutem ; non quia ipse aliquid factus est , quod ante non erat ; sed quia ipsi cum in eum crederent , quod non erant facti sunt , et jam ipse non sibi , sed illis , quod aversis a se non erat , salus coepit esse conversis .

X. « Vox lætitiae et salutis in tabernaculis justorum<sup>4.</sup> » ubi vocem moeroris et exitii putabant esse , qui in eorum corpora sæviebant . Non enim sentiebant interiora gaudia

<sup>1</sup> Psal. cxvii, 13. — <sup>2</sup> Id. viii, 5. — <sup>3</sup> Id. cxvii, 14. — <sup>4</sup> Ibid. 15.

Sanctorum de spe futura. Unde et Apostolus dicit: « Quasi  
» tristes , semper autem gaudentes <sup>1</sup>: » et iterum, « Non  
» solum autem, sed etiam gloriamur, inquit, in tribula-  
» tionibus <sup>2</sup>. »

XI. « Dextera Domini fecit virtutem. » Quam virtutem  
dicit? « Dextera , inquit , Domini exaltavit me <sup>3</sup>. » Magna  
virtus exaltare humilem , deificare mortalem , præbere de  
infirmitate perfectionem , de subjectione gloriam , de pa-  
sione victoriam , dare auxilium de tribulatione ; ut afflictis  
vera salus Dei patesceret afflagentibus autem vana salus  
hominis remaneret. Magna hæc : sed quid miraris ? Audi  
quid repeatat. Non homo se exaltavit, non homo se perfe-  
cit , non sibi homo gloriam dedit, non homo vicit , non  
homo sibi saluti fuit : « Dextera Domini fecit virtutem. »

XII. « Non moriar, sed vivam , et enarrabo opera Do-  
» mini <sup>4</sup>. » At illi stragem funerum ubique facientes, Ec-  
clesiam Christi mori arbitrabantur. Ecce nunc enarrat  
opera Domini. Ubique Christus beatorum Martyrum glo-  
ria est. Vicit vapulando ferientes ; patiendo, impatientes ;  
diligendo , sœvientes.

XIII. Tamen cur tanta indigna pertulit corpus Christi,  
sancta Ecclesia , populus in adoptionem indicet nobis.  
« Emendans , inquit , emendavit me Dominus et morti  
» non tradidit me <sup>5</sup>. » Non ergo quidquam viribus suis  
licuisse arbitretur fremitus impiorum : non haberet istam  
potestatem, nisi sibi data esset desuper. Sæpe filios pater-  
familias per nequissimos servos emendari jubet ; cum illis  
hæreditatem , illis compedes præparet. Quæ est ista hæ-  
reditas ? Auri est ? an argenti ? an gemmarum ? aut fundo-  
rum , amœnorumque prædiorum ? Vide qua intretur , et  
cognosce quid sit.

<sup>1</sup> Cor. vi, 10. — <sup>2</sup> Rom. v, 3. — <sup>3</sup> Psal. cxvi, 16. — <sup>4</sup> Ibid. 17. —  
<sup>5</sup> Ibid. 18.

XIV. « Aperite , inquit , mihi portas justitiae. » Ecce au-  
divimus portas. Quid est intus? « Ingressus , inquit , in eis  
» confitebor Domino <sup>1</sup>. » Illa confessio laudis est , « Ad-  
» mirabilis usque ad domum Dei , in voce exultationis et  
» confessionis , soni festivitatem celebrantis <sup>2</sup> : » hæc est  
æterna beatitudo justorum, qua beati sunt qui inhabitant  
in domo Dei , in sæcula sæculorum laudantes eum <sup>3</sup>.

XV. Sed vide quemadmodum intretur in portas justi-  
tiae. « Hæ portæ Domini , inquit , justi intrabunt in eas <sup>4</sup>. »  
Has saltem nemo intret injustus, in illam Jerusalem , quæ  
non recipit incircumcisum , ubi dicitur : « Canes foris <sup>5</sup>. »  
Satis sit quod in longinqua peregrinatione mea « Inhabi-  
» tavi cum tabernaculis Cedar , et cum his qui oderunt  
» pacem eram pacificus <sup>6</sup> : » pertuli usque in finem per-  
mixtionem malorum , sed , « Hæ portæ Domini , justi in-  
» trabunt in eas. »

XVI. « Confitebor tibi , Domine , quoniam exaudisti me,  
» et factus es mihi in salutem <sup>7</sup>. » Quam sæpe ostenditur  
laudis esse ista confessio , non vulnera medico ostendens,  
sed de percepta sanitate gratias agens. Ipse autem medi-  
cus salus est.

XVII. At istum quem dicimus? « Lapidem quem re-  
» probaverunt ædificantes. » Nam , « Hic factus est in  
» caput anguli <sup>8</sup> : ut duos conderet in se, in unum novum  
» hominem , faciens pacem , et connecteret utrosque in  
» uno corpore Deo <sup>9</sup> , » circumcidionem scilicet et præ-  
putium.

XVIII. « A Domino factus est ei <sup>10</sup> : » id est , capiti an-  
guli a Domino factus est. Quamvis enim hoc non esset factus,  
nisi passus esset : non tamen hoc ab eis a quibus

<sup>1</sup> Psal. cxvn, 19. — <sup>2</sup> Id. xl, 5. — <sup>3</sup> Id. lxxxiii, 5. — <sup>4</sup> Id. cxvn, 20.

<sup>5</sup> Apoc. xxii, 15. — <sup>6</sup> Psal. cxix, 5. — <sup>7</sup> Id. cxvn, 21. — <sup>8</sup> Ibid. 22. —

<sup>9</sup> Ephes. ii, 15, 16. — <sup>10</sup> Psal. cxvn, 23.

passus est, factus est. Nam illi qui aedificabant, reprobarerunt : sed in eo quod Dominus occulce aedificabat, fecit in caput anguli quod illi reprobaverunt. « Et est mirabilis » in oculis nostris : » in oculis interioris hominis, in oculis credentium, sperantium, diligentium ; non in oculis carnalibus eorum, qui quasi hominem contemnendo reprobaverunt.

XIX. « Hic est dies, quem fecit Dominus<sup>1</sup>. » Meminit iste homo se dixisse in superioribus Psalmis : « Quoniam » inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invoco<sup>2</sup> : » dies suos commemorans veteres. Unde modo dicit : « Hic est dies, quem fecit Dominus : » id est, quo mihi salutem dedit. Hic est dies, de quo dixit : « Tempore » acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te<sup>3</sup> : » id est, dies quo ille mediator factus est in caput anguli. « Exultemus ergo et jucundemur in eo. »

XX. « O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prospera iter vero<sup>4</sup>. » Quia dies salutis est, « Salvum me fac. » Quia de longinqua peregrinatione revertentes se jungimur ab eis qui oderant pacem, cum quibus eramus pacifici, et cum loqueremur eis, debellabant nos gratis<sup>5</sup>; « Bene » prospera iter » redeuntibus, quia tu nobis factus es via.

XXI. « Benedictus enim qui venit in nomine Domini<sup>6</sup>. » Maledictus ergo ille qui venit in nomine suo : sicut in Evangelio dicit, « Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipiet pietis<sup>7</sup>. Benediximus vos de domo Domini. » Credo quod ista vox magnorum est ad pusillos, eorum scilicet magnorum, qui verbum Deum apud Deum, sicut in hac vita possunt, mente contingunt; et tamen sermonem suum propter parvulos temperant, ut possint sinceriter dicere

<sup>1</sup> Psal. cxvi, 24. — <sup>2</sup> Id. cxiv, 2. — <sup>3</sup> Isaï. xl ix, 8. — <sup>4</sup> Psal. cxvi, 25.  
— <sup>5</sup> Id. cxix, 7. — <sup>6</sup> Id. cxvii, 26. — <sup>7</sup> Joan. v, 43.

quod ait Apostolus, « Sive enim mente excessimus Deo, » sive temperantes sumus vobis ; charitas enim Christi » compellit nos<sup>1</sup>. » Ipsi parvulos benedicunt de interiore domo Domini, ubi laus illa in saecula saeculorum non deficit : et ideo videte quid inde annuntient.

XXII. « Deus Dominus, et illuxit nobis<sup>2</sup>. » Dominus ille qui venit in nomine Domini, quem reprobaverunt aedificantes, et factus est in caput anguli<sup>3</sup> : Mediator ille Dei et hominum homo Christus Jesus<sup>4</sup>, Deus est, aequalis est Patri, et illuxit nobis, ut quod credidimus intelligeremus, et vobis nondum intelligentibus, sed jam creditibus, enuntiaremus. Ut autem et vos intelligatis, « Constituite » diem festum in confrquentationibus, usque ad cornua » altaris : » id est, usque ad interiores domum Dei, de qua vos benediximus, ubi sunt altaris excelsa. « Constituite diem festum, » non tepide ac segniter, sed « In » confrquentationibus. » Ipsa est enim vox exultationis soni festivitatem celebrantis, ambulantium in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei<sup>5</sup>. Si enim est ibi spiritale sacrificium, sempiternum sacrificium laudis, et sacerdos sempiternus est, et altare sempiternum pacata mens ipsa justorum. Hoc apertius dicimus, fratres : qui cumque Deum Verbum intelligere volunt, non eis sufficiat caro, quod propter eos Verbum factum est, ut lacte nutrimentur ; nec in terra sufficiat iste dies festus, quo Agnus occisus est : sed constituatur in confrquentationibus, quo usque perveniatur, exaltatis a Domino mentibus nostris, usque ad ejus divinitatem interiores, qui nobis exteriorem humanitatem lacte nutrientis praebere dignatus est.

XXIII. Et quid ibi aliud, nisi laudes ejus cantabimus?

<sup>1</sup> 2 Cor. v, 13, 14. — <sup>2</sup> Psal. cxvii, 27. — <sup>3</sup> Matth. xxi, 9 et 42. — <sup>4</sup> 1 Tim. ii, 5. — <sup>5</sup> Psal. xli, 5.